



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Collegium Universi Juris Canonici**

**Engel, Ludwig**

**Salisburgi, 1693**

Privilegium XXXVIII. Mandatum factum in fovorem Monasterii non  
expiratre integrâ morte mandantis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

gitione fidelium ad certum usum pium destinata sunt, ad illum & non alium (salvâ Sedis Apostolicæ autoritate) debeant coartari ut dicitur in *Clem. 2. de Reliq. Dom.* adeoque de Jure communitarium S. Pontifici, & non nisi ex rationabili causa concessum est, pias defunctorum voluntates commutare. Attamen hodie ex Concil. Trid. s. 22. c. 6. etiam Episcopi, tanquam *Sed. Apost. Delegati*, tales commutationes ex justa & rationabili causa facere possunt quas justas commutationis causas enumerat Barb. de *Offic. Ep. alleg. 83. d. 17. 7.*

6 Sed nec istud est prætereundum, quod si tantus sit Missarum numerus ex relictis Defunctorum alicui Ecclesiæ impositus, ut illis nequeat satisfacere, vel propter tenuitatem fundationis, non facile invenietur, qui velit se tali oneri legendi Missas subijcere, possit etiam Episcopus in Synodo Diocesana, item etiam Abbatibus & Generales Ordinum in Capitulis suis generalibus tales Missas ad minorem numerum reducere, ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro sua anima aliquid Ecclesiæ legarunt. Trid. s. 25. de *Reform. cap. 4.*

PRIVILEGIUM XXXVIII.

Mandatum factum in fovorem Monasterii non expirat re integrâ morte mandantis.

1. Mandatum expirat regulariter morte mandantis re integrâ.
2. Fallit in causis favorabilibus.

1 Mandatum morte mandantis expirare integra, id est, si negotium nec dum tractari ceptum, notum Juris est *L. inter causas, l. si præcedente si mand. l. nulla dubitatio, C. l. mandatum C. eod.* sed si aliquis v. g. mandaverit Procuratori suo, ut Monasterio (idem est de aliis pijs causis) 1000. solveret, mandans verò ante solutionem mortuus sit, Procurator post mortem ejus nihilominus solvere tenebitur, argumento ducto ab aliis favorabilibus causis in quibus mandatum morte mandantis non finitur, veluti si quis jusserit puellæ dotem dare *L. si ego*

*ff. de I. dor. aut servo libertatem l. si pater ff. de manumiss. vind.* ita præter Bald. in *aub. si quæ mulier col. ult. v. 4. not. & Tiraq. d. l. Priv. 132.* docet Cov. var. *resol. lib. 3. c. 14.*

PRIVILEGIUM XXXIX.

Pactum super viventis hereditate valet in favorem Monasterii.

1. Quibus modis deferatur hereditas.
2. Pactis non acquiritur hereditas.
3. Fallit in milite & pia causa.

Cum duo tantum sint modi quibus hereditas ad aliquem devolvitur, scilicet ex lege, five ab intestato, & ex voluntate defuncti scilicet ex testamento, neque viventis sit hereditas, ideo pactis hereditas dari non potest, præterquam quod hujusmodi pacta plena sine vitis exitus, periculum captanda mortis involvant *L. ult. C. de Pact.* atque ejusmodi pacta alia sunt affirmativa, de succedendo, alia negativa, seu quibus future hereditati renuntietur, utraque reprobatâ, nisi is, de cujus hereditate agitur consenserit & in ea voluntate usque ad extremum vitæ spiritum perseveraverit *d. l. ult. l. 3. C. de Collat.*

Nihilominus tamen quia inter milites tale pactum super futura hereditate sustinetur *L. licet, C. de Pact.* ideo idem favore piæ causæ merito dicendum videtur cum illis, quos allegat Tiraq. *priv. 105.* tum quod Privilegia militum extendantur ad Ecclesiam, ut superius *priv. 35. dictum*, tum quod minus periculum captanda mortis sit respectu Ecclesiæ, quàm militum? tum denique quod de voluntate ejus, de cujus hereditate pactum inicitur, semper magis præsumi possit, si ad pijs causas ordinetur, quam si ad profanas. Sed hæc videntur locum habere quatenus pactum super futura hereditate concernit favorem Religionis, non verò quatenus ejus damnum, ut si hereditati Monasterio competituræ renuncietur, nisi & hic consuetudo loci aliud habeat.